



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm XIX. Is cui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

CAPITVLVM XIX.

Is cui.

SUMMARIVM.

Appellans contra electionem, postulationem, aut prouisionem, tenetur iurare, quod credat vera esse, quæ obicit, & se probare posse, alias nisi ita iurauerit, omnino repellendus est.

Gregor. X. in c. Vt circa 4. hoc lib. & tit. decreuit, vt appellans contra electionem, postulationem, aut prouisionem, teneatur iurare, quod credat omnia à se obiecta vera esse, & à se probari posse. Sed cum aliqui male interpretantes hanc constitutionem, dicebant sufficere, si actor iuraret, se credere vera esse obiecta, & à se probari posse, saltem ea, quæ sufficiant ad causæ suæ victoriam, seu vt electio infirmetur; Hanc interpretationem reijcit Bonifacius VIII. aitque iurandum esse, sicuti Gregor. X. præscripsit, quod credat vera esse, quæ obicit, & se probare posse; alioquin nisi ita iurauerit, omnino repellendum esse.

Ratio, cur ita statuerit Gregor. X. ea est, quam affert Gl. ibi: quia intentio illius fuit Actoris calumniam reprimere, atque punire, quæ vno etiam obiecto falso committi potest, atque mereri, vt tota accusatio reijciatur.

NOTANDVM Vn. A verbis legis alterius dispositionis recedendum non est, nisi manifestum sit, aliud sensisse disponentem, c. ad audientiam, l. 2. de decimis, l. non aliter, 69. ff. de legatis l. 3. l. 1. §. Si is qui, ff. de executoria actione, vbi dicitur, quod in re dubia melius est verbis edicti seruire.

CAPITVLVM XX.

Qui contra.

SUMMARIVM.

Qui contra personam non tantum electam, vel postulandam, sed etiam eligendam, aut postulandam appellat, ne eligatur.

debet omnia obiecta in scripto exprimere, & iurare, se credere ea vera esse, ne calumniam inferre.

Ubicatum fuit circa constitutionem c. Vt circa; Quod ibi inter alia dicitur, si quis contra personam electi aut postulati appellet, quod omnia obiecta in scripto exprimere, & iurare debeat, se credere ea vera esse, &c. alioquin non audiendus sit, sed penitus repellendus, Vtrum, hæc constitutio locum etiam habeat, si electio, vel postulatio non facta, sed facienda sit; adeoque si appellet non contra personam electam, sed eligendam, seu ne talis eligatur. Respondet Bonifacius VIII. affirmandum esse, si contra personam certam appelletur, ne v.g. Titius eligatur, vel postuletur.

Quod hæc vera sit interpretatio, colligitur ex contextu cit. c. Vt circa: Quando enim duo in iure æquiparantur, tum statutum de vno debet etiam censeri de altero statutum, vti docent DD. in l. si quis seruo, 20. Cod. de furtis: Atque electio, postulatio, prouisio in isto negotio appellationis moderandæ æquiparantur, vti patet ex cap. 1. & c. vt circa, hoc lib. & tit. Ergo cum in cit. c. vt circa, expressum fuerit, non tantum de prouisione facta, sed etiam facienda accipiendum esse, id ipsum similiter intelligi debet de electione, ac postulatione, sicuti Gl. ibi annotauit ver. facienda. Accedit, quod siue electio facta, siue facienda sit, eadem sit ratio constitutionis, ne calumnia inferatur personæ, contra quam appellatur, nisi obiecta in scripto exprimantur, addito iuramento tum de veritate dicenda, tum de calumnia non inferenda.

CAPITVLVM XXI.

Sicut.

SUMMARIVM.

Si per formam compromissi proceditur ad electionem, per vnum facienda est electio, nisi promulgatio, perinde vt sit, quando proceditur per formam seruius.

ff. 3

Que